

102



I. N. J.
DISPUTATIONEM THEOLOGICAM
De

ΛΟΓΩΙ ΕΝΣΑΡΚΩΙ,
Occasione Oraculi

JOHANN. I. v. 14.
IN ILLUSTRISS. LEUCOREA,
BENEVOLO ORDINIS THEOLOGICI
SUFFRAGIO,
PRÆSIDE
RECTORE MAGNIFICO,
VIRO

SUMME REVERENDA DIGNITATE AMPLITUDI-
NEQUE AC EXCELLENTIA EMINENTISSIMO,
DOMINO

JOHANNNE Deutschmann/

DOCTORE THEOLOGO AC PROFESSORE PUBLI-
CO OMNIUM ADMIRATIONE DIGNO, ATQUE OB SINGU-
LAREM DOCENDI DEXTERITATEM MAXIME CELEBRI,
FACULT. THEOL. SENIORE VENERANDO, ET
ALUMNOR. ELECTORAL. EPHORO PRI-
MARIO GRAVISSIMO,

*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo æternò pietatès
& observantiæ cultu prosequendo,*

Ad diem XVII. JANUARIJ, A.O.R. M.DC.XXCIX.

Publico Examini submittet

AUTOR

M. JOHANNES Dünnehaupt/

Quedlimburgensis-Saxo, P.L.C.SS.Theol. Studios.
& Alumnus Electoralis.

WITTEBERGÆ, Typis MARTINI SCHULTZII,

DISCIPULUS THEOLOGICUS
LOTHAR ENZAPKA
Occasionalist
Benedictus
Richter
Magistris
D. DOMINO
JOHANNES
M. JOHANNES
Alumnus





I. N. J.

*Christe, Dei Soboles, Sapientia plena Jehova,
Pectus, cor, linguam dirige, quaeso, meam;
Ut videam veri lucem, falsique tenebras
Effugiam, Coeli dogmata sancta sequens.*

PROLOGUS.

Magna praesentis temporis jucunditas est, nec utilitas minor, siquidem benedictus Angelorum Chorus illam nobis jucunditatem, omni gaudiorum genere repletam, plenis quasi buccis praecinit, dum partim in signe omnibus gaudium annunciat, Luc. II. 10. partim verò hymnum Deo Glorioso & hominibus maximè acceptum vers. 14. decantat: Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς εἰρήνη ἐν ἀγαπῶντις ἐνδοξία. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas.* Cujus gaudii & nos reddimur participes, qui sub Christi vexillo militamus, eam quippe Angelus l. c. Pastoribus quidem *immediatè, mediatè* verò omnibus omninò hominibus annunciavit, ut scilicet unanimi plausu de Salvatore suo latentur valdè & exultent. Quod gaudium miratur magis, quàm rimatur *Bernhardus*, in sermone quodam scribens: *O Nativitas illibatâ sanctitate! Honorabilis mundo! Amabilis hominibus collati magnitudine beneficii, investigabilis etiam Angelis sacri profunditate mysterii, & in his omnibus admirabilis singulari excellentiâ nativitas! O partus sine dolore! solus nesciens pudoris, corruptionis ignarus, non reserans, sed consecrans virginalis uteri templum!* Taceo reliqua Sanctorum ecclesiae Patrum testimonia, ne relictâ Scripturae Divinioris confirmatione ad sola Patrum monumenta videar confugisse. Quanta autem temporis hujus jucunditas est ac latitia, tanta pariter ex

eo in nos redundat utilitas, eam quippe ob causam caro factus est unigenitus ille Dei Filius, & ex muliere natus, ut nos legis rigori obnoxios redimeret, & nos adoptione filiorum jus reciperemus. Gal. IV. v. 4. 5. Jure igitur meritoque, cum Paulo in admirationem adducti, possumus exclamare: *Magnum est pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne.* I. Tim. III. 16. Quatenus scilicet æternus ille Dei λόγος in nostram salutem assumpsit naturam humanam, ac Divinam cum eâ verè voluit unitam. Æqui proinde bonique consuletur conatus hic noster, meditationes sacras pro circumstantia temporis instituens & sanctitate. Quamvis autem non diffiteamur, plures alias, multorumq; palatis admodum inservientes materias hîc potuisse explicari, nihilominus tamen placuit nobis Divinum illud *Johannis* oraculum cap. I. v. 14. traditum evolvere, & ejus sensum pro ingenii nostri viribus scrutari, ut verò in expeditione hac Deo sacrâ Divini Numinis auxilium experiamur, & progressus habeamus felices, Te, Unigenite Dei Patris Nate, rogamus:

*Christe, Dei Soboles, Sapientia plena Jehovæ,
Pectus, cor, linguam dirige, queso, meam;
Ut videam veri lucem, falsique tenebras
Effugiam, Patris dogmata sancta sequens.*

Textus Originalis.

Johann. I, v. 14.

Ο λόγος σαρκὲς ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν,
(καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογε-
νὸς πατρὸς) πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας.

Versio Latina.

Sermo ille caro factus est, & habitavit in nobis: (Et conspeximus gloriam ejus, gloriam velut unigeniti à Patre) plenus gratiâ & veritate.

Versio Junii & Tremellii.

Sermo ille factus est caro, & commoratus est inter nos, (& specta-

perfectavimus gloriam ejus, gloriam, *inquam*, ut unigeniti, *egressi* à Patre) plenus gratiæ & veritatis.

Versio Matthiæ Flacii:

Verbum illud caro factum est, & commoratum est inter nos, & conspeximus gloriam ejus, (gloriam velut unigeniti, *egressi* à Patre,) plenum gratiâ & veritate.

Versio B. Lutheri.

Das Wort ward Fleisch / und wohnet unter uns / und wir sahen seine Herrlichkeit / eine Herrlichkeit / als des Eingebornen Sohnes vom Vater / voller Gnade und Wahrheit.

SECTIO I. EXEGETICA.

CAPUT I.

Tradens genuinam Oraculi hujus enucleationem.

§. I.

In præsentis oraculi evolutione eam secuturi sumus methodum, quâ prius vera exegesis & genuina affertur, quàm falsæ adversariorum opiniones removentur, facillimò enim negotiò refelli poterunt opposita, si accurata thesios cognitio præsupponatur.

§. II.

Primum vocabulum, quod explicationem meretur, est ὁ λόγος, λόγος scilicet ὑπεραπικός, vers. i. hujus capituli ipse Deus appellatus. In præcedentibus itaque versibus probatum est, abundè quod λόγος ille ὑπεραπικός sit verus DEUS; In præsentem autem versiculo ad utramque Naturam, Divinam scilicet ac Humanam habetur respectus. Nam utriusque Naturæ expressa fit mentio, *Divina* quippe *Natura* ostenditur in τῷ λόγῳ, quem λόγον verum esse Deum, facillimum est probatu siquidem (1) ab ipso Spiritu Sancto Θεός denominatur, hujus capituli vers. i. καὶ Θεός ἦν ὁ λόγος. In qua propositione ὁ λόγος subjecti locum habet, (non obstante, quod in posteriori loco sit collocatus,) ea enim

Græcæ linguæ indoles est, ut subiecto plerumq; articulum præ-
 figat, ad demonstrandam Textus perspicuitatem. Legimus hæc
 in parte vestigia B. D. *Wilbelmi Lyseri*, in Disputationibus Exe-
 geticis in Joh. I. ita scribentis: *Subiectum in hæc propositione* (nr.
 θεὸς ἦν ὁ λόγος) *est λόγος, quod ostendit non tantum articulus, qui, si*
non semper, sæpius tamen subiecto præponitur sed etiam scopus Evangelistæ
& contextus totus. Consentit & *Flacius* in h. l. (2) λόγος ille dici-
 tur esse æternus, erat enim in principio, vers. 1. Per quod prin-
 cipium intelligi potest, vel *principium creationis*, suffragantibus
Augustino, Bedâ, Chemnitio. Harmon. L. I. Hunnio in h. l. *Gerhardo*
Tom. I. Lib. de DEo Patre & Filio, Flacio in Clavi aliisque; Vel
 etiam haberi potest respectus ad *illud principium, quod ante uni-*
versibujus productionem jam fuit. & æternitatis nomine aliàs infi-
 gnitur. Cui sententiæ admodum favet *Chrysostomus*, aurei oris
 Doctor, cum *Basilii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii* aliorumque
 consensu. Quodcunque autem intelligatur principium λόγος
 hic substantialis tamen æternus est, ac verus Deus. Quod si e-
 nim respectus habeatur ad illud principium, quod jam erat,
 mundi hujus theatrô è nihilo nondum productô. sententiæ no-
 stræ additur certissima confirmatio, ita sanè λόγος hic fuit in
 æterno & ipse Deus æternus. & consequenter, necessariò Deus,
 præter quem nihil æternum potest appellari; Si autem λόγος hic
 fuit in principio creationis, (cùm scilicet reliquæ creaturæ pro-
 ducerentur) tum fuit non ut productus, sed ut produciens qui
 cum Patre & Spiritu Sancto omnes creaturas creavit Gen. I.
 Joh. I. 1. Illud verò principium, a quo omnia creata sunt, est solus
 Deus. (3) λόγος hic dicitur *μονογενὴς πατρὸς*: Unigenitus
 à Patre, ex quo vel Sole, quod dicitur, meridianò clariùs eluce-
 scit, λόγον esse verum Deum, nam filius ejusdem cum Patre est
 essentiæ, præsertim verò in Divinis, ubi non diversæ nec distin-
 ctæ sunt essentiæ, sed una eademque simplicissima, Deut. VI. 4.
 Esa. XLIV. 6. 8. I. Corinth. II. 6. I. Joh. V. 7. Eviçto igitur Filium
 in divinis habere unam eandemque cum Patre essentiã, eam-
 que numerò talem, concedi necessariò debet, eum esse verum
 Deum. Nisi cum absurditate pessimâ nec blasphemia minori
 Deo Patri Deitatem cupias denegare. (4) In Textu mentio fit
τῆς

τῆς δόξης, quæ cum τῷ λόγῳ μονογενεῖ essentialiter tribuatur, certus etiam character esse poterit ejusdem Divinitatis. plures probationes è Textu possent enucleari, nisi jam datas sufficere, existimarem. Brevitatis gratiâ pro divinitate hujus λόγῳ adstruendâ sic argumentor: Quicumque ab ipso Spiritu Sancto appellatur Deus & unigenitus Dei Patris Filius ac æternus est, ille necessario est verus Deus. Atqui de λόγῳ hæc omnia in antecedentibus abundè sunt probata. Ergo habemus, quod nimirum λόγῳ sit verus Deus.

§. III.

Humanâ τῆς λόγῳ Naturâ in termino Σὰρξ indicatur, qui terminus hic loci non aliquam hominis partem essentialem, sed totum hominem significat. Non enim Filius Dei aliquam tantummodo humanæ naturæ partem assumfit, ita sanè non foret verus homo, nec totus homo. Sed cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere. Gal. IV. 4. Heb. II. 14. 16. Joh. X. 18. Matth. XXVI. 38. XXVII. 50. Luc. XXIII. 46. Quibus oraculis divinâ autoritate pollentibus inserviunt Symbola, idem attestantia; Legimus enim in *Athanasiano*: *Perfectus Deus & perfectus homo, ex anima rationali & carne humana subsistens.* Nec mirum est, Carnem hic intelligendam esse de toto homine, talis enim Synecdoche Scripturis sacris planè non est infreqvens. Sic quando *Paulus* I. Tim. III. 16. scribit: μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· ὁ θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Tum non nudam intelligit carnem, ac si Deus tantum manifestatus esset in carne, exclusâ animâ rationali, sed in carne manifestatus est, quatenus integram humanam naturam, ex anima rationali & carne humana constitutam assumfit. Optimè *B. Lyserus* in h. l. Σὰρξ hominem innuit, corpore verè organico & animâ verè humanâ, quæ corpus vivificat, constantem. Et *B. Quenstedius* System. Theol. Part. III. cap. III. Membr. I. de Christi Personâ p. m. 80. *Per carnem sine dubio tota humanâ natura ὑποστάσεως propriae expers intelligitur.* Et cum illis *Olearius* in h. l. Σὰρξ notat hominem corpore verè organico & animâ verè humanâ, quæ corpus vivificat, constantem, est concretum, humanæ naturæ. Huc etiam faciunt *Augustini* verba, inquentis: *Cum lego, verbum caro factum est, in verbo intelligo verum Dei filium, in carne agnosco ve.*

rum hominem, & utrumque simul in una persona Dei & hominis ineffabili gratia largitate conjunctum. Plura qui desiderat, consulat Autores modò citatos, uberius de materia hâc edifferentes.

§. IV.

Verbum ἐγένετο varii variè explicant, nos verò opinionem contrariam ad caput 2. relicturî, veram hîc & genuinam evolvementur significationem. Vertitur autem ab accuratioris notæ Theologis per τὸ factum est. Designatur hîc verbò unio personalis θεὸς ἐνσάρκῃ, inprimis verò reipsectus habetur ad unionis illius modum, quomodo nempe Humana natura in Personam τῆς λόγῃ fuerit recepta. Ita autem humana natura in unitatem Divinæ Naturæ est assumpta, ut particeps fieret ὑποστάσεως τῆς λόγῃ, inque eâ subsisteret, cum peculiarem & distinctam subsistentiam humana Christi natura nequeat habere, nisi velimus, duas in Christo subsistentias & consequenter etiam duas personas dari insanire. Subsistit itaque Humana Christi Natura in subsistentiâ Divinæ Naturæ, quæ omnia ἰδιώματα Divina Humanæ Naturæ communicavit. Benè *Lyserus* in hunc locum: *Veluti Deus illius, n.p. Christi) in verissimam carnis & sanguinis participationem pervenit, ita etiam assumptæ naturæ humanæ Divinitatem suam cum omnibus ἰδιώμασι Divinis realiter communicavit.*

§. V.

Καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Et habitavit inter nos. Verbum σκηνῶ propriè significat tabernaculum habere, in tabernaculo vel in tentorio versari. Hinc addit *Lyserus* l. c. quod σκηνῶ fit habitare in tentorio vel tabernaculo, sive peregrinantium sive militum more, quibus locus fixus non est, sed semper unum locum cum altero coguntur permutare. Eodem modò sanctissimus ille λόγος ἐνσάρκῃ peregrini notam in mundo habuit. Joh. XVI. 18. propterea nobiscum in uno tabernaculo habitavit, qui fixum hîc locum non possidemus, sed futura quærere jubemur, aternam nempe vitam, pro quâ Christus militare dicitur Luc. XI. 22. I. Johan. III. 8. Hebr. II. 14. Sensus igitur est: Et habitavit inter nos tanquam in tabernaculo quodam: Quæ verba *Flacius* in hunc locum ita vertit: *Fuit noster contubernalis, aut in nostro contubernio vixit.* Quò ipsò simul significatur immensa τῆς λόγῃ ὑποστα-

πκξ

πικῆ erga homines benevolentia, quā motus Divinam sedem reliquit, ac inter peregrinos miseros miserè vixit, ut eos salute æternâ donaret, Luc. IX. 56. iisque concederet jus filiorum adoptione. Gal. IV. 4.

§. VI.

Καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς ὡς πατὴρ.
Verbum θεάομαι significat *diligenter & accuratè aliquid speculari*, quò sensu etiam sumitur *Marci XVI. 14.* ubi Christus incredulitatem exprobrat, cum discipulorum nonnullis creditu admodum difficile esset, Christum vivere ac à mortuis esse resuscitatum; qui tamen accuratè erat conspectus ac diligenter, v. 9. seqq. Ut nullum amplius dubium potuisset in eorum animis relinqui, cujus umbra in incredulitatem abducerentur. Emphasis hæc *I. Joh. I. 1.* itidem reperitur: *ὁ ἐθεασάμεθα* *Quod conspeximus* quasi in theatro, quod omnes ferè oculis inspiciunt irretortis. Sensus igitur est: Fixis quasi oculis contemplati sumus τὴν δόξαν αὐτοῦ. Gloriam ejus, scilicet in admirandis istis potentiamq; humanam omninò excedentibus miraculis, in quorum executione Christi Divinitas abundè elucebat. *Joh. II. 11.* aquam in vinum convertendo *Marc. V.* morbos incurabiles sanando, quia & in vitam revocando eos, quibus inter vivos agere amplius non licebat. Nec minus conspecta fuit τῆς δόξης gloria in gloriosa ejusdem transfiguratione, de quâ videatur *Matt XVII. 1. 2.* seqq. Quò & Petrus *II. Epist. cap. I. v. 16.* videtur respexisse, cum scribit: *Fuimus Spectatores ejus magnitudinis & majestatis.* Eleganter in hæc verba commentatur *Lyserus*: *In aperto, quasi in theatro ipsum conspeximus, non obiter, sed diligenter, accuratè, quasi fixis oculis contemplati sumus τὴν δόξαν αὐτοῦ.* (*Splendorem ejus*), *per totum vite curriculum, quod ipse in his terris peregit, dictis & factis demonstratam.* *Μονογενοῦς ὡς πατὴρ* dicitur, quia est unicus ille in æternitatis hodie à Deo Patre genitus. *Pf. II. 7.* In quo Patri bene complacitum est *Matth. XVII. 5.* Appellatur autem *μονογενοῦς ὡς πατὴρ* ad adstruendam veram ejus Divinitatem, confer §. 2. Quia enim Patri ὁμοσίῳ est, non potest non verus Deus appellari. Vide *Psal. XXXIII. 6.*

B

§. VII.

§. VII.

Πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας Πλήρης hic videtur optimè re-
 ferriposse juxta ac debere ad τὸ μονογενῆς, id quod verborum
 contextui admodum est conveniens, siquidem omnia hic de
 λόγῳ prædicantur, quæ in oraculo præsentî continentur. Dici-
 tur enim ὁ λόγος (1) factus ἐν σαρκί (2) inter nos σκηῆν, ha-
 bitare tanquam in habitaculo, ut supra est observatum. (3) ejus-
 dem gloria à nobis esse conspecta. (4) μονογενῆς καὶ πατρὸς utri-
 genitus à Patre. Quæ omnia, dum de λόγῳ efferuntur, evin-
 cunt, ut λόγος (5) etiam dicatur πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Il-
 lud autem nobis nihil contradicit, quod μονογενῆς in Genitivo,
 πλήρης verò in Nominativo sit collocatum, talis quippe constru-
 ctio apud Græcos non hodie demum oritur, sed jam dudum
 fuit usitata, quæ casum rectum non nunquam construit cum
 obliquo. Conf. Ephes. III. 17. Apoc. I. 4. 5. χάρις significat grati-
 am Dei benevolentiamque ac favorem erga homines, quæ in
 λόγῳ abundantissimè reperiebatur, in eo enim ipse Pater ἐιδόκησε
 Matth. III. 17. XVII. 5. Confer Rom. V. 15. 17. 21. II. Corinth. I. 20.
 Per ἀλήθειαν multi multa explicant, brevitatis gratiâ paucorum
 mentionem facturus sum. *Beda* venerabilis existimat, probatu
 hic facillimum esse, quod λόγος ille veram habeat Deitatem.
Euthymius exinde Cœlestis doctrinæ veritatem adstruere cona-
 tur. Quæ explicationes ad exercitium pietatis faciunt bene-
 multum. Nec desunt tamen, qui per ἀλήθειαν intelligunt Le-
 gum, Moralis juxta ac Ceremonialis, executionem: A quâ
 sententiâ non alienus est *B. Hunnius* in h. l. existimans, Chri-
 stum esse plenum veritate, propterea, quod typi cum veteris
 Testamenti promissionibus à Christo fuerint impleti, secutus
 hac in parte *Lyrannus*. Quam sententiam sui etiam juris facit
B. Lyserus, Spiritus Sancti autoritate fretus, Johann. I. 17. ubi
 gratia & veritas per Jesum Christum parta opponitur legi male-
 dictis æquè ac typis plenæ. Conferatur etiam Rom. XV. 8. Hebr.
 X. 26. Multò possemus esse prolixiores in Divini hujus ora-
 culi explicatione genuinâ, siquidem uberrima de eo differendi
 materia habetur, enim verò tempus in angustias abit, ac impe-
 dit, quo minus exegetin hanc genuinam fusius persequi valea-
 mus

mus, speramus tamen, benevolum Lectorem paucis fore contentum, & si plura desideraverit, ex commentariis esse petiturum.

§. IIX.

Præmissa nunc genuinâ Oraculi hujus Exegeſi, operæ præ-
tium eſſe exiſtimamus, ſi in §. hac ulterius in Idiomatum com-
municationem juxta ac officium Chriſti breviter inquiramus,
viſuri, num ex oraculo hoc ea poſſint demonſtrari? Dari verò
idiomatum communicationem, ex communicatione Natura-
rum manifeſtum eſt, quam ex admiranda τῷ λόγῳ ἐνσάρξει itidem
demonſtrari poſſe, conſtanter affirmamus. Si enim ὁ λόγος σὰρξ
ἐγένετο, necesse eſt, ut ſuam naturam σαρκί & in ea toti. Humanæ
naturæ communicaverit, quam communicationem dubiò pro-
cul idiomatum communicatio ſequitur. Hæc verò triplex ab
accuratoris notæ Theologis conſtituitur. Ad cujus (1) Genus
referri ſolent proprietates alterutrius naturæ de totâ τῷ λόγῳ ἐν-
σάρξει persona elatæ, (videatur *Magnificas Preſes Patronus noſter
ac Promotor verò pietatis & obſervantiæ cultu æternum proſequendus,*
in Theolog. Pofitivo-Polemica in ſpecie verò in Chriſtologia.)
quales inveniuntur Rom. I. 3. ubi *Filius Dei genitus eſſe dicitur ex
ſemine Davidis ſecundum carnem.* Luc. I. 35. τὸ γενόμενον ἅγιον κληθή-
σεται ἕως θεῶν. Actor. XX. 28. Gal. II. 20. Rom. VIII. 32. Gal. IV. 4.
I. Joh. I. 1. Quod communicationis genus ex oraculo noſtro
egregiè poteſt confirmari, ſiquidem Evangeliftæ verba hæc ſunt:
καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτῷ ubi gloria τῷ λόγῳ non poteſt eſſe
conſpecta, q̄t. ad λόγον abſolute refertur hæc enim ratione in-
viſibilis ſpiritus eſt, conſpecta autem eſt, quatenus carni ſeu
humanæ naturæ eſt communicata. B. *Lyſerus* etiam ex illis verbis
primum communicationis genus demonſtrat, cum dicitur ὁ λό-
γος ἐν ἡμῶν σκηνῶν. Ad (2) Communicationis genus referuntur
ἀποτελέσματα, Opera Officii, quæ Chriſtus quoad utramque natu-
ram per veram & realem κοινοῦντα exercet, vide I. Joh. III. 8. Gen.
III. 15. Luc. IX. 56. I. Tim. II. 5. Idque itidem ex oraculo noſtro
probari poteſt, in primis autem ex illis verbis: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο,
nam admiranda γένεσις iſta nullò aliò fine eſt facta, niſi ut redem-
tionis opus perficeretur. Ad (3) communicationis genus re-
ferun-

feruntur ἀξιωματικῶς, s. illæ prædicationes, quæ humanam τῆ θεο-
 ανθρωπῆ Naturam omnes Divinæ Naturæ proprietates habere,
 restantur. vide Matth. XI. 26. Matth. XXIX. 18. Joh. III. 34. Joh. V. 27.
 Ephes. I. 20. Dan. VII. 13. 14. Qv̄i communicationis gradus ex integro
 oraculo hoc nostro demonstratur. Si enim Verbum per unio-
 nem personalem caro factum est, sequitur, quod factâ hac unio-
 ne immediatè secuta sit ἀξιωματικῶν communicatio; Habitavit
 enim in nobis np. in assumpta humana natura; Præterea Glo-
 ria ejus est conspecta, non ratione Divinæ naturæ, quæ invisi-
 bilis est sed ratione humanæ per veram ac realem communi-
 cationem.

§. IX.

Paucis adhuc Christi θεανθρωπῆ officium considerabimus,
 illud ex præsentī Oraculo educturi. Est verò triplex Christi
 officium (1) *Propheticum*, juxta quod ex SS. Trinitatis consilio
 Divinæ Majestatis voluntatem de humani generis redemptione
 & salute restituenda perfectè nobis revelavit, indicaturus, se
 omnium hominum salutem intendere. Vide Deut. XIX. 18.
 Matth. XXIII. 8. 10. Joh. I. 18. Hoc officium indicat ἀλήθεια ipse
 enim veritas est, atque adeo nihil nisi veritatem potuit revela-
 re (2) *Sacerdotale*, juxta quod ὁ θεανθρωπος Legi divinæ se sub-
 jecit, & pro nostris transgressionibus satisfecit Esaiæ LIII. 4. 5.
 Gal. IV. 14. ut in gratiam reciperemur. Hoc Christi officium
 elucescit ex eo quo λόγος dicitur plenus gratiâ. Ex gratia enim
 salvati sumus. Confer Hebr. IX. 11. seq. (3) *Regium*, cujus te-
 nore quoad utramque naturam omnibus creaturis domina-
 tur vide Psalm. II. 6. XX. 10. XLIV. 2. 4. 6. XLVII. 8. IIX. 7. XCVII.
 5. Heb. II. 7. 8. II. Sam. XXIII. 3. I. Tim. VI. 15. Apoc. XVII. 14. XIX.
 16. Hoc Christi officium demonstratur ex Gloria λόγος ἐνσάρκῆ
 conspectâ, quæ utriusque naturæ, alteri per essentiâ, alteri per
 participationem s. communicationem communis esse perhi-
 betur.

SECTI-

SECTIONIS I. EXEGETICÆ

CAPUT II.

Tradens

Oraculi hujus ab Adversariorum corruptelis
vindicationem.

§. I.

Vindicatio τῆς λόγῃς.

Quamplurima inter autores de hoc vocabulo disputantur, inprimis verò inter Orthodoxos & corruptæ Socinianorum sectæ sectatores, qui verum ac genuinum Scripturæ Cœlestis sensum detorquent, phantasmata, nescio quæ, parturientes. Quemadmodū verò in affectatis errorum tenebris ut plurimum ambulant juxta ac versantur, ita hujus oraculi perspicuitatem reddere conantur obscuriorem, negantes omninò, quod λόγος divinam personam significet, sed homo Jesus tantum per eum indicetur. Ita *Enjedinus*. Explic. L.L. fol. 157. Ne verò nudo verborum sono militasse videatur, pro sui defensione adducit locum I. Joh. 1. 2. Καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη, καὶ ἐωράκαμεν, καὶ μαρτυροῦμεν, καὶ ἐπαγγέλλομεν ὑμῖν τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, ἣτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα, καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν. Cum quo conjungit Luc. 1, 2. ubi λόγος & visus, quibus locis subjicit Apoc. XIX. 13. καὶ περιβεβλημένος ἱμάτιον βεβαμμένον αἵματι, καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα, αὐτῆς ὁ λόγος τῆς θεῆς. Et *vestitus erat veste tincta sanguine, & vocatur nomen ejus Sermo Dei*. Ex his probare vult, λόγον non indigitare Divinam sed humanam personam. Enim verò hunc λόγον esse verum Deum, atque ita explicari etiam debere, supra probatum abundè est, & probabitur infra. Respondemus igitur ad allata, in densissimo errorum luco versari adversarium, solum tantummodò hominem per τὸν λόγον intelligendo, cum humana τῆς λόγῃς natura in vocabulo σαρκὸς demum innuatur, confundit igitur ea, quæ ipse Spiritus S. distincta voluit esse. Deinde quod oracula illa attinet, quæ ab adversario pro sui defensione sunt allata, responderi potest ad ea facili negotio, si modo λόγος ἐνσαρκῶς ab ἀσάρκῳ λόγῳ rite fuerit distinctus. De λόγῳ ἐνσαρκῳ ea intelligenda sunt, non autem de ἀσάρκῳ. Ate-

nim verò λόγος hic, qui σὰρξ ἐγένετο, non est λόγος ἑνσαρκος,
aliàs verbum incarnatum de novo fuisset incarnatum, & conse-
quenter Christus duabus distinctis vicibus humanam naturam
assumisset in Divinæ Naturæ unionem, quod Divino Codici re-
pugnat. Est igitur λόγος ἄσαρκος, & ipse Deus Confer vers. 1.
seq. hujus capituli, ubi expressè appellatur Deus. Neq; hæc sola
est dissentientium opinio, sed succedunt alii, λόγοι hunc non
θεόν, sed decretum, propositum seu cogitationem & ideam in
mente Dei ἀνοήτως εἶναι esse, somniantes, quâ labe affecti fuerunt
Samosatenus, Photinus ac Servetus. Inter Socinianos etiam est *Smal-*
cius, qui hom. 1. super cap. 1. Evangelistæ Johannis, ineptè scri-
bit, quod sub λόγος nomine nudus tantum homo per metapho-
ram aut metonymiam significetur. Quæ opinio ceu heterodoxa
in antecedentibus est confutata. Neq; opinio *Samosateni* & ejus
asseclarum multum ponderis habet, erroribus quippe infinitis
obnoxia, id quod ex solo hoc oraculo nostro posset probari. Si e-
nim λόγος, quem ὑπόστατικόν appellamus, est tantum cogitatio
seu idea in mente Dei, sequitur, quod nuda tantum cogitatio &
idea fuerit incarnata, (nam ille λόγος dicitur caro factus esse)
passa, mortua, &c. quod absurdum, quod alienum est, & Divinio-
ris Scripturæ fundamenta destruere conatur. Notanter verò ad-
jectus est articulus ὁ, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Scilicet illud
verbum, quod ab initio hujus capituli ipse Deus dicebatur. Quam-
vis igitur non omnem in articulo appposito spem figamus, nihil-
ominus tamen juxta *Stapulensem* ut plurimum ὑπόστασις notat. In
benevoli Lectoris gratiam *Cyrilli* verba ex Lib. 1. c. 4. Commenta-
riorum in *Johannis* Evangelium addam, de articulo sequentia
scribentis: *Illud apprimè notandum est, quod quando Divina scriptura
nominibus secundum linguæ Græcæ usum articulos preponit, tunc est unum,
est quod solum propriè ac verè tale quid dicitur, significat; Articulus autem
non adjectivus, generalius cuncta designat, ut verbi gratia; multi vocati sunt
θεοὶ Dei, sed quando cum articulo Græcâ linguâ ὁ θεός dicitur, tunc solus
est propriè Deus designatur. Cum verò absque articulo Deus profertur, qui
ad hoc gratiâ vocatus est, intelligitur sic, quum ἄνθρωπος sine articulo di-
citur, homo quispiam designatur, quando autem articulus accedit, unicam
atq; singularem hominem denotat. Ideo videmus Filium hominis ad utrumq;*
non est

nomen præpositio ὁ υἱὸς τῆς ἀνθρώπων à Salvatore nostro proferri, quando se solum ab infinitâ hominum multitudine velit significare. Hec quum ita se habeant, dicant queso: quomodo intelligendum est: *In principio erat Verbum*, quum huic vocabulo ὁ λόγος Verbum, articulus sit adiectus. Non enim potest nisi ad unum verbum, quod propriè atque verè in principio erat, articulata referri oratio. Quum igitur frustra contendunt, aliud nobis verbum adducunt, ut à dignitate naturæ Patris filium depellant. Tantum Cyrillus. De versione τῆς λόγου Latina adhuc aliquis datur dissensus, siquidem alii per *Sermonem*, per *verbum* alii expouunt. Posteriores explicationem priori aptiores esse, censet Flacius in hunc locum ita scribens: *Rectius vertetur VERBUM, quàm SERMO, quia est una tantum quædam vox Jehova, non integer sermo, quia est etiam unica res, cui potius unum verbum convenit, quàm sermo.* - - *Consultius etiam fuisset, retinere voculam VERBUM ob hasce quoque sequentes rationes, quia in hac significatione jam in Ecclesia valde receptum tritumque fuit & notum imperitioribus, quorum profectò ratio valde in Theologia totaque ecclesia habenda est: quia item magis indicat, esse mysticam quandam vocem, minusq; errandi occasionem præbet.* - - *Aptius quoque est, ut unica rei unicoq; individuo unum tantum aliquod nomen tribuatur, quàm ut integer sermo aut oratio appelletur. Quare adhuc longè consultius fuerit, initio Joannis dictionem VERBUM retineri, & Filium Dei λόγον. Verbum potius, quàm sermonem appellari, quam vocem & Germanica versio per Wort expressit. Ne verò existimetur à quibusdam, rationes hasce ex solius Flacii cerebro esse effictas, idèò provocat: ad auctoritatem B. Lutheri, Bucerii, Musculi, Brentii, Philippi & aliorum.*

§. II.

Vindicatio τῆς Σαρκός

In vocabuli σαρκός explicatione multus pariter est dissensus, imprimis verò nobis illi videntur contrariari, qui humanam naturam à Christo æterno Patris λόγῳ assumptam esse negant, quos inter non ultimas tenent partes *Enjedinus Explicat. LL. fol. 165. Socinus, in Explic. I. Part. cap. i. Evang. Joh. pag. 36. nec non in defens. Animadv. f. 19. Smalcus de Verbi Incarnat. Nat. cap. 17. & Homil. 8. in Johannem atqve Osterodius in Instit. Germ. cap. 18. Quorum opiniones eò recurrunt; quod scilicet*
Caro

Caro non naturam, sed fragilitatem humanam, infirmitates & afflictiones carnales item humilem atq; afflictū significet. Ad quæ responderi potest(1) partim distinguendo inter carnem, quatenus sumitur in concreto & at. intelligitur in abstracto, priori modò facile conceditur, carnem, quatenus in homine corrupto reperitur, significare naturam imbecillitatibus non paucis subjectam, verum posteriori modò naturam hominis abstractè spectatā indicat, quæ ratione ea salva est ac incolumis, absente etiam infirmitate. Adam quippe in integritatis statu perfectam ac integram habebat naturā humanā, neq; tamen infirmitatibus erat obnoxio. Quando igitur λόγος dicitur ab Evangelista σαρκὸς factus esse, intelligendum est vocabulū σαρκὸς in abstracto. Neq; impedit, quo minò dicam, Christū, æternum Dei Patris λόγον etiam infirmitates nostras assumfisse, eò quidem fine, ut pro iisdem redemptionis λύτρωσιν solveret. Morbos enim nostros ipse pertulit, & dolores ipsos nostros bajulavit, quamvis æstimemus nos eum plagā affectum, percussum à Deo & afflictum, nam ipse dolor efficitur à defectibus nostris, atteritur ab iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ imponitur ei, & tumice ejus fit curatio nobis Esaia LIII. 4. 5. partim (2) notum est & esse debet, quod in omnibus istis locis in quibus de carne τῆς σαρκὸς agitur, humana significetur natura, cui si infirmitates adhærent, subjectivæ non sunt non ex Christi delicto ortum trahentes, sed objectivæ, ex objectis hominibus scilicet in Christum devolutæ. partim (3) Oraculi hujus connexio videtur repugnare; Malè enim, diceret Evangelista: καὶ εἶδεν ἡμεῖς τὴν δόξαν αὐτῆς, δόξαν, ὡς μονογενοῦς ἀπὸ πατρὸς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Et conspeximus gloriam ejus gloriam veluti unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Si enim λόγος assumfuit humanas infirmitates, factus est miserrimò; Quæ verò miserrimè gloria, qui indiget commiseratione? Optimè concludit B. Lyserus in hunc locum: Σαρκὸς hominem innuit, corpore verè organico & anima verè humana, quæ corpus vivificavit, constantem. Flacius in h. l. scribit: Ubi (sc. in hoc oraculo) habetur doctrina de ineffabili mysterio incarnationis filii Dei, deq; ejus opulentissimis thesauris humano generi oblatis. Dicit igitur, Verbum esse factum carnem seu hominem, non immutatione aut etiam confusione nature, non, ut Verbum desineret esse, quod fuit, sed inciperet Theo-

esse, quod non fuit, ut Verbum seu filius Dei verè homo fieret. Sicut Theodoretus in tribus Dialogis Incommut. inconfus. & impossibilis copiosè differit. Huc etiam vulgatus ille tritusq; versiculus posset haud inconcinnè referri:

Sum, quod eram, nec eram, quod sum, nunc dicor utrumq;

S. III.

Vindicatio verbi ἐγένετο

Verbum ἐγένετο varias variorum habet expositiones, ab aliis enim vel per τὸ *erat* vel *fuit* enunciatur, ab aliis iisque fidei orthodoxæ addictis rectius explicatur per τὸ *factum est*. Quæ assertio affertur contra Gratianum Prosperum Elench. Sophist. c. 3. Socinum contra Wieckum, cap. V. class. III. arg. 13. Smalcium Hom. 8. in Johannem p. 87. Osterodum Instit. Germ. c. 18. qui ejusdem furfuris est, respiciens in primis ad alia Scripturæ Divini oracula. Nempe Joh. I 6. ἐγένετο ἄνθρωπος ὁ ἀπεσταλμένος. ERAT homo missus, Marc. I. 4. ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων. ERAT Johannes baptizans. Luc. I. 5. ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις. ERAT in diebus istis Luc. XXIV. 19. ὁς ἐγένετο ἀνὴρ προφητῆς. Qui fuit vir propheta. Enim verò responderi potest ad allata, quandoquidem non opus semper, ut unum idemq; vocabulum in omnibus locis admittat eandem explicationem, alias & illud sequeretur, quod etiam caro uno eodemq; modò in omnibus locis sit explicanda, quæ tamen non unam in sacris literis habet significationem. Ad antecedentia potius & consequentia totamq; Textus connexionem habendus est respectus. Quod verò verbum ἐγένετο per τὸ *factum est*, explicari possit juxta ac debeat, illud non unâ probari potest ratione. Et (1) quidem valida satis ratio afferri potest ex Textus connexionem; Dicitur enim hic λόγος ἦν in principio, Joh. I 1. Si igitur fuit a principio, aut tum fuit incarnatus aut incarnandus; Non prius, aliàs enim tota Nativitatis hujus admirandæ historia falleret. Ergo posterior; Unde sic infero: Si λόγος in principio fuit, neq; tamen fuit caro, nunc autem caro est, sequitur infallibiliter, quod λόγος caro sit factus. Prius certissimâ gaudet veritate, ergo & posterior eandem habebit (2) Scopus Evangelistæ alius est, alius verò Socinianæ interpretationis. Johannes sublimitatem Christi ac Divinitatem est demonstraturus in præsentis oraculo,

C

maje

majestate ejus non neglectâ, quâ in hoc exinanitionis statu e-
luxit. Sed Socinianorum scopus ex adjectâ eorum glossa est
alius, cum scribunt: *Verbum Dei, hoc est Christus qui voluntatem
Dei nobis revelavit fuit homo, miseris & infirmitatibus variis invo-
lutus.* Præterea absurditatis nos accusant, dum dicimus: *Ver-
bum caro factum est,* siquidem Evangelista Johannes jam tum plu-
rima dixerat, quæ Christus in mundo degens peregerit, quibus
tamen subjiciatur denique vers. 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Enim
verò absurditatem hanc nobis nunquam imputarent si perspe-
ctum haberent & exploratum fatis, quod illa loqvendi ratio in
Scripturis occurreret. Sic ex gr. Genes. I. 28. refertur Adami &
Evæ conjugalis conjunctio, postea verò cap. II. v. 19. seq. Evæ
creatio describitur. Ita Gen. X. 5. seq. Gentium divisio in linguas
& familias suas memoratur, cum tamen linguarum confusio c.
XI. v. 6. seq. afferatur. Neque in hoc male egit Evangelista, si-
quidem in præcedentibus exposuit Christi Divinitatem, bono
igitur ordine subjicere potuit temporalem ejus Nativitatem.
Uberius ea possent explicari, nisi jam datam responsionem pro
sufficiente habendam esse, arbitrarer.

§. IV.

Πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας

Formulam hanc *Cajetanus* non ad λόγον μονογενῆ ὡς πα-
τρὸς refert, sed ad Johannem Baptistam censet referendam, ver-
ba hoc ordine transponens: Πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας Ἰωάννης
μαρτυρεῖ. *Plenus Gratia & veritate Johannes testatus est.* Cui ex vers.
16. 17. *Theophylactus* planè contradicit, formulam hanc referens
ad τὴν δόξαν; Verba ejus sunt: Ἀντὶ τῆς ἡ δόξης ἣν εἶδε αὐμὲν Ἰωάννης τῶ
ὄντι κατ' ἀληθειαν ἢ δόξα ἦν πλήρης χάριτος. Alii, qui parenthe-
sin inferunt, ad λόγον, alii verò parenthesis hanc non recipien-
tes ad μονογενῆ proximè referendam esse censent. Priorem sen-
tentiam defendunt *Maldonatus*, *Contzen* & *Barradius*, postero-
rem verò *B. Lyserus*. Illa verò *Cajetani* juxta ac *Theophylacti* trans-
positio simpliciter non procedit. Posteriores verò duæ explica-
tiones facilè poterunt conciliari, si modò observetur prædicatio
mediata & immediata; Sive igitur formula hæc proximè & im-
mediatè referatur ad μονογενῆ, mediatè tamen ad λόγον procedit,
quia terminus μονογενῆς ad λόγον pariter refertur. SECTI-

SECTIO II. PROBLEMATICA.

QVÆSTIO I.

Sitne oraculum hoc tantæ autoritatis, ut admiran-
dam τὸν λόγον ἐνσαρκῆν ex eo posimus probare?

§ I.

Qvæstio hæc facili negotio expediri potest, si ea modò, quæ in
antecedentibus dicta sunt, rite fuerint observata, ubi abun-
dè fuit ostensum, quod per τὸν λόγον divina persona intelligatur,
siquidem λόγος ille expressis Spiritus Sancti verbis Θεός appella-
tur Joh. I. 1. Et in præsentī oraculo λόγος ille dicitur Σαρκὶς factus,
quæ omnia in Sectione I. abundè fuerunt explicata. Ex quibus
ita concludo: Quemcunqve Spiritus Sanctus (1) Deum esse
(2) carnem assumisse, expressis verbis testatur, ille est verè ἐν-
σαρκος. Atqui de λόγῳ prius probatur, quod scilicet à Spiritu
Sancto dicatur Deus v. i. dicatur & præterea caro factus esse v. 14.
Ergo. Major ex veritatis Cœlestis autoritate elucescit.

§ II.

Non tamen Socinianorum venenum desinit arrodere cœle-
stem veritatem, verba hujus oraculi mirum in modum detor-
quendo. at contra omnem veritatem. Duces eorum sunt *Socinus*
in refutatione *Bellarmini & Wiechi* cap. 5. *Osterodus* in *Instit. Germ.*
cap. 18. *Franciscus Davidis* in colloq. *Transylv.* aliique, sensum
Spiritus Sancti perversè negantes. Et (1) quidem opinantur,
vel potius somniant, τὸν λόγον nullò prorsus modò Divinam per-
sonam significare, quæ non tantum ante incarnationem sed
etiam prius fuerit, quam mundi fundamenta jacerentur, siqui-
dem terminus λόγος nudum potius hominem indicare videatur,
Ut verò somnia hæc inepta ac impia ad veritatis normam vide-
antur esse instituta, ad Divina oracula provocant, quæ citata &
explicata bene sunt in Sect. I. cap. II. §. 1. Loquuntur enim
oracula illa de λόγῳ ἐνσαρκῳ, nos verò λόγον ἀσαρκον prius confide-
ram, qui dicitur factus esse ἐνσαρκος. Tribuuntur autem propri-
etates humanæ τῷ λόγῳ propterea, quia humanam naturam
assumit, quâ assumptâ non poterat immunis esse à proprietati-
bus humanis confer Rom. IX. 5. Heb. II. 14. I. Joh. IV. 3. &, qui
non ultimo loco ponendus erat, illustris ille locus I. Tim. III. 16.

§. III.

(2) Malè per τὴν σὰρκα intelligunt vilem juxta ac abjectum statum & imbecillitates verè omnes, cum quibus humanæ naturæ conflictandum est. Nec desunt Scripturæ Sacræ oracula, quibus probatu non difficile est, carnem quandoque in tali significatione usurpari. Vid. Esaiæ caput XLV. 6. Psalmi LXXII. 44. Jerem. XVII. 5. I. Petri I. 24. Quæ ad Christum accommodata videntur Heb. II. 14. V. 7. Gal. III. 13. Rom. VIII. 3. II. Corinth. V. 21. Ad quæ respondetur, vel utrâque largiendo, carnem in Scripturis sacris nonnunquam imbecillitates humanas denotare, enim verò dantur & alia loca, in quibus *caro* totum hominem significat Matth. XXIV. 22. Luc. III. 6. Unde elucescit, non semper nudas infirmitates per carnem indicari. quod autem in oraculo nostro *caro* totum hominem ex corpore verè organico & anima verè humana constitutum significet, id probavimus in Sect. I. cap. I. §. 3. & cap. II. §. 2. Reliqua, quæ objici alias ab adversariis solent, partim refutata jam sunt, partim verò ad conflictum reservanda.

QVÆSTIO II.

Num æternus ille Dei λόγος verè factus sit
ἐν σαρκί?

§. I.

Quamvis in oraculo nostro λόγος σαρξ ἐγένετο, expressè dicatur, non tamen desunt contrarium somniantes. Nos cum classico hoc dicto alia conjuncturi sumus testimonia, è Divino Codice depromta, pro adstruendâ verâ ac realî τῷ λόγῳ ἐν σαρκί.

§. II.

Probamus autem τῷ λόγῳ ἐν σαρκί veritatem (1) ex humanis nominibus. Vocatur enim expressis verbis homo Lucæ XXIII. 47. ἰδὼν δὲ ὁ ἐκατόνταρχος τὸ γινόμενον, ἐδόξασεν τὸν Θεόν, λέγων: Ὁντως εἰς ἀνθρώπος εἶστι δίκαιος ἦν. Præterea & caro appellatur, filius hominis, semen mulieris Gen. III. 15. Σπέρμα Ἀβραάμ Hebr. II. 16. ὁ υἱὸς Δαβὶδ. Matth. I. I. Filius & fructus ventris Davidis. II. Samuel. VII. 12. Psalm. XXCIX. 36. Ps. CXXXII. II. Unde sic infero: Quicumque à Spiritu S. appellatur homo, caro, filius hominis, semen mulieris, semen Abraham, filius David, filius & fructus ventris Davidis, ille est ἐν σαρκί. In subsumptione de λόγῳ hæc omnia probantur ex dictis citatis.

§. III. (2)

§. III.

(2) Illustria divinæ Scripturæ oracula admirandam τῷ λόγῳ ἐν σαρκί confirmant, quorum nonnulla subjungam. Gal. IV. 4. Ὅτι δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τῆς χάριτος, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ γενόμενον ἐκ γυναικός I. Tim. III. 16. ὁ θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί Hebr. II. 14. Ἐπεὶ ἔν ταῖς παιδίαις κέκοίνωκε σὰρκὸς καὶ αἵματι καὶ αὐτὸς παρεπλήσισως μετέχευε τῶν αὐτῶν & V. 16. ἡ γὰρ δὴ πρὸς Ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, αἰκία σπέρματι ἀβραάμ ἐπιλαμβάνεται. Quæ loca, dum ab adversariis multum arrodi solent, breviter sunt vindicanda.

§. IV.

Primò locò produximus oraculum illud classicum ad Gal. IV. 4. in quò dicitur ὁ υἱὸς θεοῦ γενόμενος ἐκ γυναικός, (non verò ἐξ ἀνδρός) ut admiranda ejus ἐνοσίχθων significetur, & ipse natus sit ac conceptus non ex cohabitatione maris & fœminæ naturali, sed ex mariâ Virgine, per δούλῳν ὑψίστῳ Luc. I. 35. Contra hæc verba Smalcus objicit: Quod etiam alii homines dicantur nati ex mulieribus Matth. XI. II. et si nullus eorum ex sola mulieris substantia sit progenitus. Cui respondemus, Matthæum non loqui in sensu exclusivo quasi diceret homines ex mulieribus nasci exclusis Patribus, sed in sensu inclusivo, ut præsupponatur, homines è mulieribus naturali modò natos etiam Patres habere, quem Christus in hoc ἐνοσίχθων mysterio non habuit, id quod indicatur in Oraculo citato.

§. V.

Neque dictum illud I. Tim. III. 16. ab adversariorum corruptelis omninò tutum est, quandoquidem à variis variè detorque-ri solet. Præsertim verò Sociniani negant in oraculo hoc adstrui τὴν ἑλπίδα ἐν σαρκί. cum vocem DEI falsò insertam esse censeant, quippe quæ in omnibus Græcorum Codicibus non reperiatur, neque à latino interprete fuerit observata. Quas & similes argutias prætendit Schlichtingus Tom. I. com fol. 254 & Tom. II. fol. 250. Quem comitantur Enjedinus in Explicat. LL. fol. 367. & Volkelius Lib. V. de U. R. cap. XI. ita scribens: Vox Dei nequæquam in omnibus Græcis Codicibus habetur sed ad mysterium pietatis proximè nominatum omnia ista referuntur, quemadmodum in vulgata Editione & Syriacâ interpretatione videre est. Quibus respondemus, aperte falsum esse, in Græcis Codicibus vocem Dei non extare,

sed vel maximè in iisdem legi, etiam interpretum consensu. Videatur *Beza* in h.l. Ipse pariter *Estius* in h. l. confitetur, quod vox Dei etiam in Syrâ versione inveniatur. Et quid? Positò, vocem Dei in *vulgato* ac aliis quibusdam codicibus non extare, sufficit, quod in authenticis legatur. Nec mirum est, in quibusdam Codicibus Latinis hanc vocem non reperiri, eos enim codices à *Macedonio Nestoriano* corruptos esse *Cornelius à Lapide* in hunc locum testatur. Nec à sententia nostra aberrant Sancti Ecclesiæ Patres, qui vocem Dei constanter legunt. Videantur *Origenes* in Epist. ad Rom. c. I. Lib. I. *Atbanasius* de incarnatione Verbi Dei pag. 461. *Cyrillus* de incarnat. Unig. p. 240. *Ignatius* Epist. 3. ad Magnesianos. *Clemens Alexandrinus* in Protreptic. ad Gentes. *Theodoretus* Tom. II. Dialog. I. *Chrysostomus* in I. Timoth. Homil. II. & Homil. XIV. in cap I. Johann. *Hieronymus* Com. in h. l. *Joh. Cassianus* de incarnat. Domini. lib. 5. *Theophylactus* Com h. l. aliq;

§. VI.

Ad locum, ex Hebr. II. 14. citatum variæ afferuntur expositiones at non omnes genuinæ. & (1) quidem verbum ἐπιλαύβανεται redditur à *Slichtingo* per præsens tempus, ut sensus sit: *assumit*, non verò *assumpsit*. Ad quæ annotat *Volkelius*, Apostolum loqui de re ejusmodi, quæ adhuc durat non quæ olim præterierit. Quibus allatis respondemus, quod tempus præsens reliquorum temporum significationes simpliciter non excludat, sed etiam pro illis ponatur id quod ipse *Slichtingus* innuit, ad Joh. V. 30. I. Cor. III. 11. Rom. V. 15. hæc igitur anallage est probè notanda. Ad *Volkelii* adjecta dicimus, quod propterea non tollatur unio personalis, quia Christus dicatur *assumpsisse* non verò *assumere*, sed tantum incarnationis actus dicatur jam esse factus & præteritus; ipsa verò naturarum unio perpetua est, nec desinit durare (2) Instat *Grotius* in Notis ad h. l. verba illa ἀπαρτί σπέρμα καὶ ἀβραάμ ἐπιλαύβανεται sic exponens: *Id agit, ut vos Hebræos liberet à peccatis & à metu mortis. Επιλαύβανεται enim ipsi hoc loco est solemniter vindicare, sive in libertatem asserere injectâ manu.* Cui suffragatur *D. Joh. Tobias Major*, in Comment. super Epist. ad Hebræos, ad h. l. Communiter, inquit, verbum ἐπιλαύβανεται ad naturam humanam assumptionem in unitatem personæ refertur. At enim ea vis verbi non est,

est neque apud illum autorem Græcum in hoc significatu reperitur, sed
probatissimis Scriptoribus idem est ac apprehendere, opitulari, solen-
niter vindicare, sive asserere injectâ manû in libertatem. Ad hæc re-
spondetur verbum ἐπιλαμβάνεσθαι absolutè hic poni sine voce,
χειρῶν, quò sensu nihil indicat nisi assumere. Confer Act. XXI. 30.
Præterea confundunt autores citati finem cum medio, ipsa
quippe assumptio medium est, cujus ope finis nempe liberatio
humani generis ac in gratiam receptio facta est Hebr. II. 14. 17.
Illa igitur opitulatio ac vindicatio ad finem refertur.

§. VII.

(3) Admiranda τῶ λόγῳ ἐνσαρκίῳ probari potest ex aliis Scri-
pturæ oraculis, imprimis autem ex Luc. XXIV. 39: Ἴδετε τὰς
χειρῶν μου. καὶ τοὺς πόδας μου, ὅτι αὐτὸς ἐγὼ εἰμι, ἢ ἠλαφροῦτέ με, καὶ ἴδετε, ὅτι
πνεῦμα σὰρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα. Videte
manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum, contrectate me & videte,
quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Huic
addi potest ex Act. XX. 28. Deus suo sanguine acquisivit Ecclesiam,
item ex Rom. IX. 5. Ὡς οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κτλ σὰρκα, ὁ ὢν
ὑπὲρ πάντων θεῶν εὐλογητὸς εἰς τὰς αἰῶνας. Quorum sunt Patres, ex qui-
bus est Christus secundum carnem, super omnia Deus benedictus in se-
cula. Unde sic infero: Quicumque habet manus, pedes, contre-
ctari potest ac videri, suo sanguine ecclesiam redemit, & ex
Patribus secundum carnem natus est, ille est verè ἐνσαρκῶς.
Atque hæc omnia de Christo sunt probata. Ergo Plura qui de-
siderat, adeat B. Chemnitium de duabus Naturis in Christo cap. 3.
B. Gerhardum in Exegesi Loc. IV. de Persona & officio Christi c.
IV. & VI. Nec non in Disputat. Isagog. Disput. IX. cap. 4. & 6. Dan-
hauerum in χειρῶν σφίρα. Sect. I. Articulo I. & II. B. Calovium System.
Theol. Tom. VII. Art. II. cap. III. qv. I & in Anti-Crellio-Petaviuum
Tomo IV. operum B. Quenstedium Syst. Theol. Part III. cap. III.
Membro I. de Christi Persona & Naturis Sect. II. qvæst. III. seqq.
pag. 124 seq. Brochmandum Syst. Theol. Tom. I. Act. XV. de Christo
θεοῦ Ἰσῶπῳ c. II. p. m. 714. seqq. & alios multos, quorum citatione
superfedebo.

§. IIX.

Probato hæctenus, Filium Dei, æternum Patris λόγον verè
incar-

incarnatum esse uberius dispiciendum est ane dentur Hetero-
doxi contrarium statuentes? Quorum non pauci sunt, atq; adeo
breviter subjiciendi. Et (1) quidem affertur *Secta Marcionitarum,*
Cerdonianorum ac Manicheorum, quæ sectæ eò dementiæ perve-
nerunt ut, Christum veram humanam naturam nostræ omninò
similem assumisse, perversè negarent. Ne tamen corpus aliqua-
le τῷ λόγῳ abnegarent, effingebant corpus aliquod Spirituale,
seu potius phantasma aliquod ac speciem imaginariam, quam
Christo corporis loco tribuebant. Enim verò hæc recitasse, etiam
est refutasse, Divina quippe τῆς λόγος ἐνοσίχθων veritas in §. præce-
dentibus abunde fuit demonstrata. Visuri tamen sumus absur-
ditatem ac blasphemias in Divinam veritatem effusas. Si enim
corpus phantasticum assumsit, & nudam tantummodo speciem
imaginariam, sequitur, (α) omnia illa Scripturæ Divinioris ora-
cula falsa esse, quæ veram incarnationem confirmant. Quod
falsum est, nec cum minori blasphemiâ conjunctum. (β) Divi-
nam majestatem, quæ ipsa veritas est, falsa in sacris consignas-
se, id quod itidem blasphemum (γ) Christum phanta-
sticè passum, mortuum esse ac ita resurrexisse & in Cælum
conscendisse. quod blasphemum (δ) Totum genus humanum
phantasticè esse redemptum, quod dictu miserum & intolerabile
audit.

§. IX.

(2) Eorum vestigia ferè legunt *Valentiniani & Apellite,* cum
Anabaptistis ac Mennonistis, nec non *Weigelianis* somniantibus,
quod Christus carnem nobis consubstantialem absolutè non ha-
buerit sed Spiritualem, eamq; Cœlitus delatam, & per Mariæ vigi-
nis uterum eò transeuntem modò, quò aqua per canalem fluere
solet. Unde *Weigelius* Postill. part. II. pag. 285. & par. III. pag. 75. 85.
negat, *Filium Dei carnem suam accepisse ex Adamo,* negat, *Mari-*
am, ex qua natus est Christus, esse Evæ filiam, negat, *Christum talem,*
assumisse carnem, qualis est reliquorum hominum; & contra affirmat,
Christum carnem e Cœlo secum attulisse. Quæ ἐπεφροσύνων somnia iisdem
absurditatibus obnoxia, quibus priora. (3) Neque ἐπεφροσύνων la-
bem à se alienam esse voluit *Nestorius* cum *Iba, Felice, Bonoso, Pe-*
tro Gnaphæo, Sergio aliisque, qui fortiter negarunt, τὸν λόγον verè
ἐνοσίχθων

ἐνοσπριον esse factum, & quamvis humanam naturam ipsi tribue-
rent, nudumque hominē eum appellarent, Christum verò Deum
esse, inficiabantur. Ex quo errore in alium simul abducebantur,
ut Mariam non *Dei param* sed *Christiparam* nominarent. Cui He-
terodoxia opponitur Orthodoxia ex Scripturæ oraculis in præ-
cedentibus fusiùs demonstrata.

§. X.

(4.) Contra sententiæ Divinæ veritatem hanc pugnant etiam
Ἀψυχοι, *Ariani*, sic appellati, quod λόγον humanam tantummo-
dò carnem assumpsisse, non verò animam humanam, statuerunt.
Opinati fortè, Naturam Divinam animæ vices sustinere, atque
assumtam carnem humanam informare. Quibus oppono dicta
Joh. X. 17. 18. Διὰ τὸτο ὁ πατήρ με ἀγαπᾷ, ὅτι ἐγὼ τίθμι τὴν ψυχὴν μου,
ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν. Ουδεὶς αἶρει αὐτήν ἀπ' ἐμοῦ, ἀλλ' ἐγὼ τίθμι αὐτήν
ἀπ' ἐμαυτοῦ. Matth. XXVI, 38: Περλυπὸς ἐστὶν ἡ ψυχὴ μου ἕως θανάτου.
Lucæ XXIII, 46: Καὶ φωνήσας φωνὴ μεγάλη ὁ Ἰησοῦς εἶπε: Πάτερ, εἰς χεῖ-
ρας σου παρατίθμι τὸ πνεῦμα μου.

(5.) *Apollinarista*, nobis sese opponunt, opinantes, Christum
verè quidem assumpsisse corpus humanum, non verò cum eo a-
nimam rationalem, cujus officio Divina ejus natura perfuncta
sit. Ne verò solum corpus citra vitam ἀ λόγῳ fuisse assumtum,
ineptiant, addunt, quod corpus illud humanum ἀ λόγῳ assum-
tum animam habuerit vegetativam ac sensitivam. Quæ opinio
vel exinde confundi potest, quod plurima habeantur dicta Scri-
pturæ, quæ probant, Christum verè hominem natum esse, Gal.
IV. 4. Joh. X. 17. 18. Matth. XXVI. 38. Lucæ XXIII. 46. Præterea o-
pinio illa absurditatem gignit, absurdum quippe foret, esse ho-
minem factum, assumpsisse humanam naturam, neq; tamen as-
sumpsisse cum corpore humano animam rationalem; Natura
quippe humana constituitur non ex corpore organico & anima
vegetativa ac sensitiva, sed ex corpore organico ac humano &
anima rationali, si verò hæc abfuerit, non est perfecta sed in-
corpus & spiritum resoluta hominis natura.

§. XI.

(6) Succedit *Photinianorum*, *Socinianorum* aliorumque insania,
quæ non sine blasphemis Divinam τὴν λόγον ἐνοσπριον pro nudo

D

com-

commento habet, fabulamque appellat. Ita enim scribit *Ostero-*
dius Institut. Germanic. cap. XVII. Bey den adversariis ist die
 Menschwerdung/das die andere Person in der Gottheit menschliche
 Natur an sich genommen habe/ein tremendum mysterium, bey uns
 aber wird es für ein pur-lauter Gedicht fürwizziger Menschen ge-
 halten. *Crellius* Lib. I. de uno Deo Patre. c. 31. eò pervenit infa-
 nix, ut admirandam hanc λόγος ἐνοραξιν ceu figmentum aliquod
 æstimet, quod scripturæ ignotum sit & à rationis judicio abhorreat. Ei-
 dem errori addictus est ipse *Socinus* Fragment. de Christi Natur.
 fol. 17. à quo *Smalcius* nihil recedit. Homil. 8. in cap. 1. Joh. scribens:
 Deum esse hominem factum, esse absurdum, & sanæ rationi planè contrariū
 & in Deum blasphemum. Enim verò illud absurdum est, ac bla-
 sphemum, quando veritas cœlestis fallere dicitur, expressa quip-
 pe Scripturæ oracula adducta sunt, abundè probantia, Dei Filiū
 esse incarnatum. Absurdum præterea est, si mysteria ad rationis
 judicium trahantur; Quod si enim illud in Theologia figmen-
 tum est, quod ad rationis judicium non potest revocari; omnia
 profectò mysteria pro figmentis sunt habenda. Quid igitur
 de Deo, essentialiter uno, personaliter autem trino, existiman-
 dum? Anne & hoc rationis figmentum est? O impiam, blasphe-
 mam pariter ac miserrimam opinionem! O miserrimos ac omni-
 folatiō exutos, qui talia credunt! *Magnum est pietatis mysterium,*
quod Deus in carne sit manifestatus. I. *Timoth.* III. 16. Non verò nudum
 humanæ rationis figmentum. Ad quæ verba B. *Gerhardus* in an-
 notationibus p. m. 51. ita commentatur: *Pietatis mysterium vocatur,*
quia vero pietas & religio, quâ Deus colitur, in hujus mysterii fide potissi-
me est fundata. *Anselmus* in h. l. scribit: *Magnum pietatis mysteriū,*
quia cuncti fideles noverunt, hoc ita magnum esse, ut nemo sufficiat, magni-
tudinem ejus cogitare.

§. XII.

Quod si verò λόγος ille Deus ipse est, quin & apud Deum
 esse perhibetur, dubitari sanè posset, sintne duo an verò unus
 tantum modò Deus? Ad quæ respondet B. *Gesnerus* in Orthodo-
 xa confessione de personâ & officio Salvatoris nostri Jesu Christi
 pag. m. 14. Verba ejus in benevoli Lectoris gratiam sum adjun-
 cturus: *Dei nomen de vero & essentiali Deo dictum, aliàs capitur ὁσιωδῶς*
 aliàs

aliàs ὁ προσεταμένος. Hic Deus Patrem, & primam S. Trinitatis personam significat. Hic enim Evangelista alium declarat esse filium, alium Deum Patrem, etiamsi non sit aliud & aliud de natura. Hilar. 2. Trin. Apud unum ingenitum Deum, ipse unigenitus Deus esse prædicatur. - - Quod Logus est apud Patrem, ut alius apud alium, refellit Sabellium, qui unam voluit esse Trinitatis personam, modo Patris modo filii nomine nuncupatam, Quod λόγος non est apud Patrem tanquam aliud ad aliud, id ostendit, Trinitarum πάλαιθεν vanam esse. Utrumque inducit nature & essentia in Divinis ἐνότητα, & πλυτότητα, hoc est, identitatem seu unitatem, & Personarum τετάδα: Trinitatem.

QUÆSTIO III.

Cur Filius caro factus sit, non verò Pater
vel Spiritus Sanctus?

§. I.

Quæstio hæc curiosa videtur, suo tamen fundamentò non est destituta; Neque verò opus est, ut inquiramus anxie, cur Deus hoc vel illud fecerit, ipse enim tanquam ens liberrimum, omnia pro liberrimâ suâ voluntate ac consilio sapienti egit. Adeoque & in hoc ἐνοσίχθων negotio videtur respectus haberi ad Sapientissimum Dei Trinunius decretum, id quod è Scripturarum sacrarum oraculis abundè evincitur. Gal. IV. 4. Quod tamen non est simpliciter factum, sed ad interventionem Filii Dei, sese offerentis ad satisfaciendum pro peccatis nostris, 2. Tim. 1, 9. Joh. 1, 17. Qui igitur dederat consilium, idem quoque auxilium peropportunè tulit.

§. II.

Petrus Lombardus. Libro III. Sententiarum, distinctione I. lit. B p. m. i seqq. more suo philosophatur: cujus verba propter Augustini locum in candidi Lectoris gratiam breviter subjungam: Diligenter verò notandum est, quare Filius, non Pater vel Spiritus Sanctus est incarnatus. Solus namque Filius hominem assumpsit: Quod utique congruo ordine atque altò Dei sapientia fecit consilio: ut Deus, qui in Sapientia sua mundum condiderat, secundum illud: Omnia in Sapientia fecisti Domine que in Cœlis sunt, & que in terris; restauraret in eadem. Ideo

D 2

etiam

etiam Filius est missus & non Pater, quia congruentius mitti debebat, qui est ab alio, quam qui à nullo est. Sicut ergo Pater genuit, Filius est genitus; ita congruè Pater mittit, Filius missus est. Ab illo enim convenienter mittitur Dei verbum, cuius est verbum, ab illo mittitur, de quo natum est. Mittitur; quod genitum est; Pater verò, qui misit, à nullo est. Ideoque Pater missus non est, ne, si mitteretur, ab aliò esse putaretur. Missus est ergo primò Filius, qui à solo Patre est; deinde etiam Spiritus Sanctus, qui est à Patre & Filio. Sed Filius solus in carne missus est, non Spiritus Sanctus, sicut nec Pater. Quod ideo factum est, ut, qui erat in Divinitate Dei Filius, in humanitate fieret hominis filius. Non Pater vel Spiritus Sanctus carnem induit, ne alius in Divinitate esset filius, alius in humanitate, & ne idem esset Pater & Filius, si Deus Pater de homine nasceretur. Unde Augustinus in Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 2. Tomo 3. Non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus Sanctus, sed Filius tantum, qui erat in Divinitate Dei Filius, ipse fieret in homine hominis filius, ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset eternà nativitate filius. Dei ergo Filius hominis factus est filius, natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, & secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius, ut veritas geniti, non adoptione, non appellatione, sed in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet, ut esset verus Deus & verus homo unus filius. Non ergo duos Christos, neque duos filios, sed Deum & hominem unum filium amat denominare. Hæc Petrus Lombardus.

QVÆSTIO IV.

An æternus ille Dei λόγος & totam simul humanam naturam assumerit, an verò caro ista, quam assumpsit, prius fuerit in B. Virginis utero concepta, & deinde à λόγω assumpta?

QVOD λόγος & humanam naturam assumerit integram, ex animâ verè humana & corpore verè humano constantem, in antecedentibus est demonstratum, quandoquidem non alteram hominis partem, sed totum hominem peccatis obnoxium redemit πῶς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιός ἐστιν, ὅτι χειρὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἀμαρτωλῶς σῶσαι I. Timoth. I. 15. Ἀμαρτωλός autem non significat aliquam peccatoris partem, sed totum peccatorem, qui peccato tam originali firmiter inhaerente est imbutus, quam a-

ctua-

etualibus variis contaminatus. Quæritur ergo, An λόγος integram humanam naturam, animam & corpus simul assumerit? Affirmativæ subscribere dubio procul tenemur, nisi admirandam τὸ λόγος ἐν σάρκι partialiter factam esse, velimus pronunciare. An verò illa caro à λόγῳ assumpta prius fuerit concepta in utero B. Virginis Mariæ, quàm à λόγῳ assumpta, dubitatur. Nos ad negantium classem sumus procliviores; Siquidem conceptio ista miraculosa est, facta sine maris cohabitatione per Spiritus Sancti ἐπέλευσιν, & obumbrationem Virtutis Altissimi Luc. II. 35. Non igitur potuit concipi caro citra unionem, neq; prius concepta esse, quàm assumpta, sed simul assumpta & concepta. Huc facere multum videntur Petri Lombardi verba, quæ in libro III. Sententiarum, Distinct. II. Lit. c. p. m. 7. seq. habentur: *Si autem quæritur, utrum Verbum carnem simul & animam assumpserit, an prius animam, quàm carnem, vel carnem quàm animam, & utrum caro illa prius fuerit in utero Virginis concepta, & postea assumpta; Verissime & absque ullâ ambiguitate dicitur, quia, ex quo Deus hominem assumpsit, totum assumpsit, simulque sibi univit animam & carnem, nec caro prius fuit concepta, & post modum assumpta, sed in conceptione assumpta, & in assumptione concepta. Unde Augustinus in Libro de Fide ad Petrum cap. 18. scribit: Firmissime crede & nullatenus dubites, non carnem Christi sine Divinitate conceptam in utero virginis, priusquam susciperetur à verbo, sed ipsum Verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem verbi incarnatione conceptam. Adde ejusdem (Augustini) verba, & Libri I. de Trinit. cap. ult. petita: Non esset Dei hominumq; Mediator, nisi esset idem Deus, idem homo in utroq; unus & verus, quàm servilem formam à solo Filio susceptam tota Trinitas (cujus una est voluntas & operatio) fecit. Non autem in utero Virginis prius caro suscepta est, & postmodum Divinitas venit in carnem, sed mox, ut Verbum venit in uterum, servatâ veritate propriæ naturæ, factum est caro & perfectus homo, id est in veritate carnis & animæ natus est. Finem denique imponam quæstioni huic Verbis Gregorii in Moralibus ita scribentis: Angelo nunciante & Spiritu adveniente, mox verbum in utero, mox intra uterum verbum caro.*

QVÆSTIO. V.

Num ex aliquo hujus Oraculi Verbô unio Persona-
lis possit demonstrari?

§. I.

Filium Dei, æternum Patris λόγον verè ἐκ σαρκος factum esse tum
ex oraculo nostro tum aliis in qvæstione II. allatis abundè
fuit probatum, proinde ad alia pergendum est, & inqviren-
dum: An expresso aliquo verbo oraculi hujus possit probari
unio Christi personalis? Qvòd in verbo ἐγένετο luculenter fa-
ctum esse, apparet. Ipse enim unionis Personalis modus ex-
plicatur, cum dicitur ὁ λόγος, σαρκὶ ἐγένετο: *Verbum caro factum est.*
Unitur qvippe Verbum Dei Hypostaticum cum humanâ na-
tura per carnem significata, non *essentialiter* (ac si humana na-
tura ordinata esset per naturam ad Divinæ naturæ essentiam
complendam. qvòd absurditatis labem incurreret, Deumque,
perfectissimum ens, accusaret imperfectionis) sed *personaliter*
qvatenus nempe humana natura in hypostasin Divinæ fuit as-
sumpta, ut in eadem subsistat, & quidem ita, ut (illa ὑπόστασις Di-
vinæ naturæ) non minus verè jam sit humanitatis ὑπόστασις qvàm ipsius
Divinæ naturæ λόγος, licet in modo habendi sit disparitas, ut scilicet Di-
vina natura λόγος eam habeat πρῶτως ἔ κατ' αὐτὸ, humana
verò δευτέρως ἔ κατ' ἄλλο; secundariò ἔ propter unionem Personalem,
adeoque perpetuo sit ἔ maneat λόγῳ propriissima, licet participetur
ab humana natura ἀ λόγῳ assumpta. Verba sunt B. Qvenstedii Syst.
Theol Part. III. Membro I. de Christi Persona & Naturis Sect II.
Qvæst. IV. pag 132. seq.

§. II.

Liceat nunc addere B. Lyseri verba Disp. Exeg. in cap. I.
Joh. v. 14. §. 42: *Verbum ἐγένετο vertitur factum est - - -*
Notatur verò voce illà modus unionis, nempe personalis, qvòd verbum
humanam naturam in Individuo certò spectatam, non cum conversio-
ne unius nature in alteram, - - - sed in unitatem persone sue assum-
sit, ita, ut λόγος ὑπόστασις quæ ipsi propria est, assumpta nature com-
mune fecerit, ἔ veluti divinitas illius in verissimam carnis ἔ san-
guinis participationem pervenit, ita etiam assumpta nature humane Di-
vinitatem suam cum omnibus Divinis ἰδιώμασι realiter communicaverit.

§. III.

§. III.

Pesfimè igitur agunt, qui ex unione naturarum Personali in Naturarum confusionem dilabuntur, vel eam plane dissolvere, allaborant, cui furem deditus fuit *Nestorius*, qui, etiamsi non explicitè, per apertam tamen consequentiam unionem personalem tollebat, ejusmodi intelligendo unionem, ex quâ neque naturarum neq; idiomatum communicatio redundaret. Diversa enim habuit principia, alium Mariæ, alium verò Dei Filium statuendo. Cui expressâ contradicunt Scripturæ Cœlestis testimonia, ut illud, quod Joh. I. 14. consignatum est, πᾶτερειάμ, pro-voco ad illud Coloss. II. 9: ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. Si itaq; in Christo corporaliter omnis plenitudo Deitatis inhabitat, necesse est, ut unus primò sit Christus, quod κατοίκησις probat, & ut secundò & Divinam habeat naturam & humanam in una eademq; Persona conjunctam, Divina enim significatur in πληρώματι θεότητος, humana verò in voce σωματικῶς. Confer. Hebr. II. 14.

§. IV.

Factam verò post unionem fuisse Naturarum confusionem, & quidem ita, ut humana natura mutata fuerit in Divinam, apertè fatetur *Eutyches*, in Concilio Chalcedonensi interrogatus de suâ doctrina, respondens: *Ego Eutyches ante unionem ex duabus Naturis, profiteor. Dominum nostrum Jesum Christum esse genitum, post unionem autem unam ejus esse naturam, & Divinum ejus corpus, neq; nobis substantiale, neq; iisdem nobiscum perpesionibus obnoxium fuisse.* Confer de his *Evagrium* lib. I. Histor. Ecclesiast. c. 19. & *Nicephorum* Lib. XIV. c. 47. & Lib. XIX. capit. 52. Ob cujus erroris manifestam confessionem dicitur esse damnatus. Quæ opinio non uno errore est repleta; Statuit enim ac profitetur, Christum ante unionem genitum esse è duabus naturis, quæ sine absurditate non efferuntur; Quomodo enim Christus ante unionem potuit esse genitus è duabus Naturis, cum illa è duabus naturis ἕρεσις demum in unione contingat? Certè duas Christo naturas tribuere ante unionem, est, Spiritui Sancto apertè contradicere, qui duas Christo naturas in unione tribuit, locis supra aliquoties citatis. Quin imò sequeretur, Christum ante sui incarnationem fuisse
jam

Jam θεανθρώπων, quod est contra Historiam Evangelistarum. Illa
autem Naturarum confusio, quam Eutyches defendere maluit,
non paucorum errorum genitrix est nutritrixque. Siquidem duas
in θεανθρώπων naturas per unionem personalem conjunctas qui-
dem fuisse, non verò immutatas esse, evincunt plurima Scriptu-
ræ Sacræ testimonia, imprimis verò illa, quæ Christum in statu u-
nionis personalis jam constitutum expressè appellant Deum &
Hominem, nec non utriusque naturæ propria Christo θεανθρώπων
adscribunt. Quod si igitur humana Christi natura in Divinam
mutata fuit, eccur Christus vocatur homo? Cur proprietates
humanæ de Christo prædicantur, eiqve verè ac realiter attri-
buuntur? Nullum certè fuisset dubium, quin Spiritus Sanctus
humanas etiam proprietates in Divinas fuisse permutatas dice-
ret, si humana natura à λόγῳ assumpta fuisset in Divinam muta-
ta. Fundamentum ejus fuisse perhibent ipsum hoc nostrum
oraculum, in quò verbum caro factum esse, à Spiritu Sancto
indicatur. Enim verò Verbum ita caro factum esse dicitur, non
ut caro in verbum permutaretur, sed ut à verbo in Divinam
ὁπὸς αἰσιν assumeretur sine ullà naturarū confusione. Confer Hebr.
II. 14. Bene satis ac piè scribit B. Gesnerus in Orthodoxa Confes-
sione de Persona & Officio Christi pag. m. 49. *Apud Deum non
est alteratio, vel umbra saltem ullius conversionis. Nec contra λόγῳ
ita sit caro, ut caro in λόγῳ absorbeatur, & post incarnationem non sit
caro, sed merus λόγῳ; Nam Johannes disertè probat, humanam na-
turam etiam post incarnationem esse in Christo integram, his argumen-
tis, (quæ à Gesnero in antecedentibus fusius sunt tradita, à nobis verò
nunc prætermittenda, si verò quis ea desideret, evolvat Gesnerum, loc.
cit. pag. 38. seqq.) - Cum igitur nec λόγῳ in carnem, nec caro in
λόγῳ sit mutata, & nihilominus caro de λόγῳ verè dicatur, ὁ λόγῳ
σὰξ ἐγένετο, Verbum caro factum est, necesse est, ut λόγῳ & caro sint
unum κατ' ἀμεταβλησίαν ita conjuncta, ut nec λόγῳ in carnem nec
caro in λόγῳ sit conversa. Cum quo conjungatur Synodus Chal-
cedonensis. In quâ creditur in Christo duas esse naturas, unitas
ἀσυγχύτως ἀτρέπτως, ἀνακλιώτως ἀδιαρέτως ἀχωρίτως, ἀδιασπείτως:
hoc est absque confusione, mutatione alteratione, divisione,
separatione, distractione. Plura addi possent, nisi ad alia nobis
esset pergendum.*

QVÆST-

QVÆSTIO VI.

Quid verò existimandum? Anne æternus ille DEI

λόγος caro fuisset factus, Adamo etiam in peccatum non prolabente?

§. I.

NON uni controversiæ obnoxia est hæc quæstio, & vel propterea diligenter evolvenda. Nos veram prius sententiam evolvemus, probaturi λόγον carnem non assumpturum, si Adamus, Pater omnium hominum, in grande illud omnibusque mortem pariens peccatum non fuisset prolapsus. Idque confirmatur ex ἐνσαρκώσεσσι τῷ λόγῳ fine, cujus gratia in mundum hunc venit, & caro est factus, ille autem finis est humani generis redemptio, quod plurima Scripturarum oracula testantur. Et quidem ipse veritatis λόγος Matth. XIX. 11. de se hæc pronunciat: ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, σῶσαι τὸ ἀπολωλός. *Venit enim Filius hominis, servare, quod perierat;* cum quo exactè congruit illud Lucæ XIX. 10. ubi vocabulum ἀπολωλός idem reperitur, quò significantur omnes in universum mortales, ad quos mors per peccatum transit, Roman. V. 12. 1. Corinth. XV. 22. Neque alia defunt Scripturarum loca, quæ Christum in humani generis redemptionem carnem assumpsisse, testantur. Confer. Matth. XX. 28. ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἦλθε διακονῆσαι, ἀλλὰ διακονῆσαι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτῆς λύτρον ἀνὰ πολλῶν. *Johannis III, 16. ἔγω γὰρ ἠγάπησεν ὁ θεὸς τὸν κόσμον, ὥστε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν μονογεῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπολέται, ἀλλ' ἔχη ζωὴν αἰώνιον. Galat. IV, 4: ὅτι δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ θεοῦ ἐν χροῖνι, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, ἡμιμόρφον ἐκ θυναικός, ἡμιμόρφον ὑπὸ νόμον, & vers. 5: ἵνα τὰς ὑπὸ νόμον ἐξαγορεύσῃ, ἵνα τὴν υἰοθεσίαν ἀπολάβωμεν. Et illustrem locum I. Tim. I. 15: Πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάντες ἀποδοχῆς ἀξιοῦσι ὅτι χειρὸς Ἰησοῦ ἦλθεν, εἰς τὸν κόσμον, ἀμαρτωλῶν σῶσαι. Hebr. II. 14. I. Joh. III. 5. & alia, quæ apertè omnia testantur, Christum eum in finem venisse in carnem, ut redimeret genus humanum, morti ac infernalibus cruciatibus per Adamī peccatum obnoxium.*

§. II.

Pergimus ad eos, qui adversæ parti favent, visuri, quid eorum tela contra nos valeant. De Pelagianis recentet *Cassianus* libro

E

bro



bro I. de Incarnatione Christi contra Nestorium cap. 3. quod à
nostra hac sententia plurimum discedant, statuantque, λόγον,
qui Deus est, non eum in finem venisse in carnem, ut pro gene-
re humano pretium redemptionis solveret, sed ut bonorum ope-
rum exempla præberet. Quæ opinio Divinis testimoniis §. I. al-
latis non modò impiè contradicit, sed Spiritum veritatis, cuius
instinctu ac inflatu ea consignata sunt, falsi arguit, quod im-
pium, quod blasphemum. Quin & Pontificiorum errori, o-
mnia ferè in bonorum operum meritis collocanti fortiter pa-
trocinatur. Eandem ferè tibiam inflavit *Petrus Abailardus*, teste
Casiano l.c. Nec non *Rupertus* Abbas Tuitiensis, qui, tamen ad-
huc timore quodam percussus, existimabat, Filium Dei ventu-
rum in mundum etiam si non fuerit peccatum. Lib. III. de Glo-
ria & Honore Filii Homini. Secundum Evang. Matthæi cap.
XXVI. & Lib. XIII. de gloria Trinitatis, cap. 19. 20. 21. &c. Horum
vestigia legunt *Scotista*, nec non Sociniani.

§. III.

Quid verò de opinionibus istis habendum sit, ac statuen-
dum, facile constat, siquidem humani cerebri figmenta sunt,
quæ nec ullum in Scripturis habent fundamentum, nec habere
possunt, cum ipse Spiritus Sanctus contrarium demonstret. Ar-
gumenta eorum ac rationes citare, nec chartæ angustia nec ino-
pia temporis permittere videtur. Evolvere autem ea si fortas-
se cui lubuerit, is adeat *Beatum Qvenstedium* loco sæpius citatò,
pag. 114. seqq. *Brochmandum* Tomo I. Syst. Theol. Articulo XV.
cap. II. quæst. X. pag. m. 725. seqq. &c. Ea interim, quæ chartæ huic
non poterunt commendari, ad conflictum sunt reservanda.

QVÆSTIO VII.

Si itaque λόγος caro factus est eamque nunquam
deponet, quæritur, ane etiam iudicium in vivos &
mortuos secundum humanam naturam sit
exerciturus?

§. I.

Non immeritò hæc quærentur, siquidè quæstio hæc ab adver-
sariorum arrosionibus non omninò immunis est. Viden-
dum

dum proinde, quid verum sit, & cum Scriptura Sacra consentiat, quid verò contra Divinam veritatem proferatur. Et quamvis maxima sit Christi quoad ad humanam naturam majestas, quippe quam à Divina Natura humanæ communicatam esse è sacris edocemur, nimis tamen eam constringit *Calvinianorum* grex, succenturiante *Pontificiorum* turba, ut Christi quoad humanam ejus naturam, judicandi potestatem vix pro ministeriali habeant. Confer B. *Questedum* Syst. Theol. Parte IV. cap. XIX. de Extremo Judicio Sect. II. quæst. III. p. 620. seqq. *Brochmandum* Tomo I. Syst. Theol. Artic. XV. cap. XII. Sect. X. p. m. 808. seq. Quorum opinionem refellit (1) ipsa unio duarum naturarum in Christo hypostatica, tota quippe natura Christi Divina communicata est humanæ ejus naturæ, quod si hoc, necessario etiam communicata est potestas judicandi principalis, nam communicatâ totâ naturâ, communicantur etiam principales naturæ proprietates. Addam verba B. *Gesneri* l. c. p. m. 222. ita scribentis: *Cum Christus natura sit Rex & Judex secundum Divinitatem; Hæc autem potestas judicandi in tempore quoque illi (nr. humanæ naturæ) detur; ideo necesse est; ut secundum humanam naturam in tempore Judex constituatur.* (2) Plurima Scripturæ oracula reperiuntur, sententiam hanc nostram comprobantia. Confer Dan. VII. 13. Matth. XVI. 27. cap. XIX. 28. cap. XXIV. 30. XXVI. 64. Act. X. 42. Rom. II. 16. c. XIV. 10. II. Corinth. V. 10. Appellatur etiam Judex de Cælo descensurus I. Thes. IV. 16. Venturus in nubibus Luc. XXI. 27. Act. I. 9. in nubibus & cum nubibus Cæli Matth. XXIV. 30 (3) Adjiciam locum Joh. V. 27. Καὶ ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ, καὶ κέλει ποιῆν, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστίν. Et potestatem dedit ei judicandi quoque, quia Filius hominis est (4) Ascensionis Christi collatio cum ejusdem ad iudicium reditu Actor. I. II. descripta sententiæ nostræ novam superaddit confirmationem, Angeli enim ita alloquebantur adspicientes Christi ascensionem: Ἄνδρες γαλιλαῖοι, τί ἐσθήκατε, ἐμβλέποντες εἰς τὸν οὐρανόν; ἔτι ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναληφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανόν ἔτις ἐλεύσεται, ὃν τρεῖς πῦν ἐδεάσαθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν. Quod si verò ita redibit Christus, quemadmodum abiit necesse est, ut secundum humanam redeat naturâ, secundum quam abiit, cum secundum Divinam abire nequiret. Præterea abitus Christi erat

visibilis, q̄ualis divinæ naturæ non convenit, ergo etiam visibi-
liter redibit ad iudicii extremi executionem. Confer Matth.
XXIX. 18.

§. II.

Non attendimus hic *Suarezii* figmentum, q̄vi *Comment. in III. Partem Thomæ Tom. II. Disput. LII. Sect. I.* scribit: *potestatem iudicandi Christo in humanitate datam non esse primariam, sed secundariam, & quasi ex commissione Deo datam.* Et postea: *Hanc potestatem esse inferiorem divina & hoc sensu dici posse ministerialem.* Hæc facili negotio confunduntur, potestas q̄vippe iudicandi una tantum est, Divina scilicet ac infinita, q̄væ humanæ naturæ per communicationem data est, ita, ut etiam verè sit Divinæ λόγῆ naturæ potestas, ubi autem una tantum est potestas, ibi nec principalis datur, nec ministerialis, sed una eademq̄ve ac singularis potestas. Benè *Cyprianus Serm. de Ascens. Humilitas carnis nostræ throno iudiciario honorata est.* *Augustinus tractat 19. In Joh. Tom. IX. Forma illa erit iudex, q̄va stetit sub iudice, illa iudicabit, q̄vâ iudicatus est.* *Claudian deniq; Verbis Vigiliæ libro V. contra Eutychen scribentis: Secundum carnis naturam exaltatus est, honoratus, coronatus, melioris dignitatis nomen adeptus, q̄vi secundum naturam verbi horum nihil eguit aliquando, ut scilicet potestatem Cæli & terræ hereditatem Gentium & subiectionem universorum ex tempore acciperet. Nunquid enim potestatem & dominium creaturæ suæ conditor non habebat, ut novissimis temporibus muneris gratiâ his potiretur.*

Gloria sancta λόγῆ Naturæ semper utriq̄ve,
Illi conatus consecro q̄vosq̄ve meos.

Errata quædam sic corrigenda pag. 9. lin. 16. lege Magnificus Præses. lin. 31. κοινωνίαν, pag. 10. lin. 29. conspecta, pag. 14. lin. 2. hominem humilem. Reliqua levioris momenti errata benevolus lector corriget pro suo candore.

RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS
JOHANNES Deutschmann/ D.

CLARISSIMO VIRO,
DN. M. JOHANNI Dünnehaupten/
DE INCARNATIONE VERBI,
PUBLICÉ DISPUTATURO,

S. P. D.

VERBUM CARO FACTUM est, CLARISSIME DN. MAGISTER, *Oraculum est Evangelicum, ac veram Evangelii præ se fert naturam. Evangelium aliàs breve dicitur, & longum; breve quoad sonum, longum quoad sensum, breve quoad literam, longum quoad sententiam, breve quoad ἑήματα, longum quoad περὶ γυατα, vel ipsa divinæ revelationis Mysteria. Johannæum Oraculum vere sic breve, sic quoque longum dicitur Evangelium. Pauca sunt in eo verba, cuncta latent in eodem Mysteria. Verborum paucitate suam brevitate, Mysteriorum multitudine suam longitudinem nobis commendat. Tria sunt Verba, sed, genuino sensu, perfecta sunt verba, dum illustre Theologiæ totius Compendium, & accuratum omnium partium breviarium artificio quodam admirando nobis exhibet. Prima vocula Verbum est, ὁ Λόγος, non mentalis, nec oralis, sed personalis, qui, tanquam persona Deitatis peculiaris, est apud Patrem, & verus Essentialis DEUS. Ecce Speculum Theologiæ, quæ primæ partis est in Universa Theosophia. Verbum enim non est nullius, sed Patris Dicentis, & mystice Generantis Verbum: nec est sine Spiritu, sed cum Spiritu Verbum est: Pater autem, Verbum, & Spiritus, unum sunt, & Unus, quoad Essentiam, trinus quoad Subsistentiam, DEUS. Secunda vocula σὰρξ, vel Caro dicitur. Ecce Speculum Anthropologias. Caro, vel Homo κατὰ θεοῦ divina creatione gaudet, quoad statum Integritatis: κατὰ ἀνομίαν diabolica seductione, vel corruptione langvet, quoad Statum de-*
for-

formitatis: κατ' ὀρθότητα gratiosa per Christum restitutione viget, vi-
ret & floret, quoad Statum gratiosæ DEI charitatis. Ultima vocu-
la verbalis est, ἐγένετο, quia Verbum FACTUM EST Caro per
Christologian, non sibi, sed Nobis, non ad suam, sed ad nostram
salutem, quoad totam Mysteriologian. O longam brevitatem! O
brevem longitudinem! O paucis verbis expositam longissimam My-
steriorum multitudinem! Multis hæc exponi possent, nisi Ti-
bi, VIR CLARISSIME, perspecta satis eadem essent. Tu modo
potissimum Christologian in hoc aureo, vel potius vere divino scru-
tatus es Oraculo, quæ nativa, vel propria, juxta textum, & contex-
tum, Ei dicitur. Christianam prudentiam adhibuisti, dum in
hoc tempore servire, Meditationes Natalitias, satis devotas, satis
limatas, huic potissimum Oraculo tribuere voluisti. Hoc Tibi pro-
prium, hoc Tibi perpetuum, dum prudenter ad omne Genus Officiorum
Vitam Tuam, non absque laude, præparare contendis. Lin-
guas colis, & sacram Philologiam, si DEUS operam tuam Scholis ad
excolendas Adolescentium linguas postularet. Philosophiam accu-
rate tractas, & privatim Auditores docendo, & publicis Disputatio-
nibus eos exercendo, si vel ad Gymnasia, vel ad Academias Te bo-
num publicum vocaret. Testes ejus rei sunt tot publicæ Disputa-
tiones, quæ tuam & sedulitatem, & eruditionem Bonis omnibus com-
mendant. Theologie quoque totum Te committis, & Collegiis
privatis, atque publicis, eruditionis Theologicæ Tibi divitias acquiris,
ut ad officium quoque sacrum paratus esse possis. Prostant jam
multæ Theologicæ Disputationes, quibus rerum sacrarum peritiam
cunctis publice manifestasti. His addis novum Tuæ perfectio-
nis Testimonium. Videbit hoc Λόγος, Dominus Ecclesie! Videbit hoc
ipsamet Ecclesia! Videbunt idem Ecclesiarum Summi PATRONI,
Tuumque laudatissimum ad multorum commodum Tuorumque gau-
dium promovebunt! Fiat! Dab. Witteb. d. 17. Januar. Anno M DC
LXXXIX.

CL. VIRO,
DN. M. JOH. Dünnehaupten/

SS. Theol. C., Poëtæ ingenioso &c.

Fautori suo æstimando,

S. P. D.

Jamdudum Musam mea tuam, Eruditissime

DN. MAGISTER,

amare cœpit.

Φιλεῖ μὲν γὰρ ὁμῶς καὶ ἑλλοῖ αἰδὸς αἰδόν.

NEc solùm Te *Præsidentem* in *Philosophorum Cathedra* plus vice simplici stantem ac partes masculè defendentem & vidi & audivi; sed Poëtæ etiam nomen reapse promeritum novi. Τεχνίτην, ὡς φησὶν ἔργον ἐπαινεῖ. Magni equidem hōc seculō æstimatur, Teutonicam Poësin; majoris, Latialem; maximi, Græcanicam simul callere. Quam triplicem ingenii felicitatem Tibi non duplici corde, ut Ebræi loquuntur, gratulari habeo. Misisti non ita pridem mihi Logogriphum votivum, eumque Strenæ locō misisti. Quamobrem, ne ἄμωσθὶ videar, Tibi πρὸς ΛΟΓΟΓΡΑΦΟΥ ΕΝΣΑΡΚΟΥ sub MAGNIFICI ACADEMIÆ RECTORIS, DN. D. JOH. DEUTSCHMANNI, Communis Maximi nostri MÆCENATIS, Præsidio cum laude disputaturo adplaudere non dubitavi. Μνημόσυνον τῆς φιλοφιλίας ἔμῃ ἀφίλον. JESUS sanctissimus huic tuo instituto benedicat, ut in exoptatissimo portu Tibi navigare liceat! Cujus gratiæ Te etiam atque etiam commendo. Vale! Dab. ὡς τὰ χεῖρα ex Museo V. jd. Januar. Anno τῆς παρθενωλοχέυσεως ελθ' Ιζ' ΧΧΙΧ.

Ὁ σὸς ὄσθ

M. Johann. Peister/P. L. Cæs.,
Lyc. Witteberg. Rector & illustr.
Soc. Teuton, addictus.

PRÆCLARISSIMO VIRO

DOMINO

M. JOHANNI Dünnehaupten /

S. P. D.

Qvedlimburgenses.

Magni profecto aestimatur, multisq; est delicio, qui
omnes animi nervos intendit, ut tempus studiis
Academicis sacrum bene impendatur; Majorem vero
gloriam sibi parare videtur; qui in lucem emersus ite-
rum iterumque conflictus Eruditorum inire non erube-
scit. Talem te haectenus Vir clarissime, gesisti, ut multorum
amorem tibi attraxeris. Non enim sufficiebat tibi, ut
in Philosophorum castris strenuum fortemq; ac intrep-
idum Te exhiberes sed animum quoq; habebas sacrae The-
ologiae multum litantem, id quod specimina publici juris
facta attestantur. Undecies ex utraque Philosophia eru-
dite disputasti, praesidendo novies, & bis respondendo,
nec unquam sine lauru & victoria es regressus. Quinta
nunc vice Lutheri Cathedram conscendis, unde merito
noster applausus Te delectat. Maeste virtute tua, & nul-
lum erit dubium, quoniam magna dignitas Tibi sit accessura,
Deus evocatur & conatibus tuis benedicat, ut studiorum
cursu feliciter expedito exoptatam promotionem asse-
quaris. Vale dabantur è Museo die 12. Januarii, Ao.
cl. lcc. XXCLIX.


85852

ULB Halle 3
005 363 56X



VD 77







I. N. J.
THEOLOGICAM
De
ENΣΑΡΚΩΙ,

one Oraculi

ANN. I. v. 14.
RISS. LEUCOREA,
RDINIS THEOLOGICI
FFRAGIO,
RÆSIDE
E MAGNIFICO,
VIRO

A DIGNITATE AMPLITUDI-
LENTIA EMINENTISSIMO,
DOMINO

E Deutschmañ/

GO AC PROFESSORE PUBLI-
ONE DIGNO, ATQUE OB SINGU-
ERITATEM MAXIME CELEBRI,
SENIORE VENERANDO, ET
CTORAL. EPHORO PRI-
GRAVISSIMO,

ore ac Promotore suo aternò pietatès
tie cultu prosequendo,

JARII, A.O.R. M.DC.XXCIX.

Examini submittet

AUTOR
NES Dünnehaupt/

axo, P.L.C.SS.Theol.Studios.
anus Electoralis.

ypis MARTINI SCHULTZII,